

INDISSOLUBILITAS MATRIMONII ESTNE NORMA IURIDICA AN PRAECEPTUM MORALE?

SUMMARIUM: I. Origo quaestionis. II. Rationes dubitandi: 1. S. Scriptura. 2. Concilium Vaticanum Secundum. III. Brevis crisis opinionum: 1. Origo. 2. S. Scriptura. 3. Concilium Vaticanum Secundum. IV. Significatio vocis «indissolubilitas»: 1. Impossibilitas violandi legem. 2. Obligatio non solvendi matrimonium. V. Praesupposita indicata: 1. Consensus dynamicus. 2. Communitas vitae. VI. Non sufficit praeceptum morale. VII. Requiritur ius: 1. Non humanum. 2. Sed divinum. VII. Conclusiones. VIII. Quaestiones profundius investigandae.

I. ORIGO QUAESTIONIS

A saeculo XI exeunte, in doctrina theologorum et canonistarum uti principium omnino inconcussum habitum est matrimonium ratum et qua ratum consummatum iure divino esse indissolubile¹.

Pari modo pacificum erat absolutam indissolubilitatem matrimonii esse normam iuridicam.

Nostris diebus, crescente praxi divortii etiam apud Christianos, plura problemata pastoralia surgunt. Frequentius enim evenit, ut divortio digressi novas nuptias ineant. Quae uniones ob legem indissolubilitatis nec regulares nec legitimae dici possunt. Status divortiatorum denuo «nuptorum» incompatibi-

¹ U. NAVARRETE, Indissolubilitas matrimonii rati et consummati. Opiniones recentiores et observationes, *Periodica* 58 (1969) 415.

lis est cum praecepto Christi. Consequenter, hi Sanctissimum Corpus Christi recipere nequeunt. Ut eis via ad Eucharisticam communionem aperiatur, quidam putant legem indissolubilitatis esse mitigandam². In dubium vocare coeperunt doctrinam, quae legem indissolubilitatis tamquam normam iuridicam habet. Fortiter tenent legem indissolubilitatis esse praeceptum mere morale.

Non intendimus omnia dubia circa indissolubilitatem vinculi matrimonialis solve.

Nostrum propositum est unum tantum punctum tangere, prout in ipso titulo apparet: id est, utrum indissolubilitas matrimonii sit norma iuridica an praeceptum morale.

II. RATIONES DUBITANDI

Rationes dubitandi videntur derivari praesertim ex duplici capite:

1. *S. Scriptura*

Sunt, qui provocent ad textus biblicos indissolubilitatem matrimonii respicientes³. Auctores affir-

² SC Doctr, Litterae ad Episcopos loci missae circa munus docendi de indissolubilitate matrimonii, 11-4-1973 (Z. GROCHOLEWSKI, Documenta recentiora circa rem matrimonialem et processualem, vol. alterum, Romae 1980, p. 21, n. 5029): «Tales insuper opiniones simul cum aliis rationibus doctrinalibus vel pastoralibus hinc inde tamquam argumentum sumuntur ad abusum iustificandos contra vigentem disciplinam circa admissionem ad Sacramenta eorum qui in unione irregulari vivunt».

³ Bibliographia de matrimonio et divortio in N.T. in immensum crevit; multa inveniuntur in scripto H. SCHÜRMANN, Neutestamentliche Marginalien zur Frage nach der Institutionalität,

mant Christum, loquendo de coniugio indissolubili, nullo modo proposuisse legem, sed ideale seu optatum.

Oritur quaestio implicata, quomodo Christus Dominus normam de matrimonio non separando intellexerit.

Agiturne de lege irritante, quam homines violare nequeunt, quia potestatem non habent?

Agiturne de praecepto mere morali, quod homines, nulla sub condicione, laedere debent, etsi laedere possunt?

Magna multitudo in re biblica peritorum opinantur unitatem matrimonii indissolubilis, collustratis fundamentis biblicis, esse praeceptum mere morale⁴.

2. Concilium Vaticanum Secundum

Sunt, qui referant textus Concilii Vaticani II, in quibus dimensio personalis matrimonii in clariore luce ponatur. Animadvertunt Concilium Vaticanum II, posthabitis logicis quoad notionem contractus, verbum *foedus* pro verbo *contractus* substituisse. Hac locutione, ita notatum est, matrimonium tamquam realitas personalis describitur. Tali descriptioni etiam aliae expressiones concordant, v.g. intima communi-

Unauflöslichkeit und Sakramentalität der Ehe, Kirche und Bibel, Festgabe für Bischof EDUARD SCHICK, Paderborn-München-Wien-Zürich 1979, p. 409, nt. 1.

⁴ F.X. DURRWELL, Indissoluble et destructible mariage, *Revue de droit canonique* 36 (1986) p. 225. J.G. GERHARTZ, Unauflöslichkeit der Ehe und kirchliche Ehescheidung in heutiger Problematik, Kirche für morgen, vol. 1, hrsg. von R. METZ und J. SCHLICK, Aschaffenburg 1970, p. 154 recapitulat: «Heute wird die Weisung des Herrn von Exegeten und Dogmatikern eher im Sinne des Sollens-Gebotes verstanden».

tas vitae et amoris coniugalis, intima personarum atque operum coniunctio, unitas mutua, personarum donatio⁵.

Pro certis auctoribus vox *foedus* praebet basim, ex qua omnes considerationes initium sumunt. Mutatio locutionis, ut aiunt, substantialem mutationem notionis matrimonii implicat.

Re sic percepta, matrimonium pertinet ad ordinem factorum, ubi leges morales vigent.

III. BREVIS CRISIS OPINIONUM

1. *Origo*

Ante omnia crisim movere debemus circa punctum, ex quo omnis discussio de vi indissolubilitatis matrimonii procedit. Libenter concedimus situationem divortiatorum denuo «nuptorum» esse gravem. Haec vero situatio irregularis non potest constituere fundamentum, ex quo omnis consideratio circa indissolubilitatem initium ducat. Quaecumque reflexio de vinculo indissolubili oculos vertat ad matrimonia sana. Nam necessitates pastorales non sanantur medicina inadaequata, quae consistit in eversione notionis matrimonii⁶.

2. *S. Scriptura*

Quod attinet textus S. Scripturae, statim animadvertere volumus Doctores magni nominis verba Chri-

⁵ Conc. Oec. Vat. II, Const. past. Gaudium et spes, n. 48.

⁶ W. BREUNING, Unauflöslichkeit der Ehe und Geschiedenpastoral, G. KOCH/W. BREUNING, Die Ehe des Christen, Lebensform und Sakrament, Freiburg 1981, p. 118.

sti sensu legis intellegere⁷. Etsi maior pars exegetarum cum his non concordant, tamen apparet opinionem contrariam tam firmam non esse, ut solidis argumentis peti nequeat.

Quidquid sit de interpretatione textuum, semper verum manet Christum non solum esse legislatorem, qui fidelibus opponitur. Homo enim per baptismum Christo incorporatur, ita ut in Christo, per Christum et in Christum creatus sit. Consequenter, matrimonium inter duos baptizatos celebratum ad dignitatem sacramenti evchitur, id est ad significandum et participandum mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam⁸. Ultimum fundamentum indissolubilitatis non uno vel altero textu S. Scripturae nititur, sed factis theologicis. Idcirco iure adnotatur

⁷ Inter alios S. GAROFALO, *Vinculum matrimoniale in novo testamento*, AA.VV., *Vinculum matrimoniale*, P.U.G., Romae 1973, p. 54: «Sed notandum, praescriptionem Jesu praescriptioni Moysis opponi, tamquam legem, et quidem perfectiorem, Legi et auctoritati Moysis superiorem. Non igitur sermo est de «norma directiva» sed de norma adamussim observanda. Hoc modo intellexerunt verba Christi fideles inde ab origine Ecclesiae, praeunte Paulo (1 Cor. 7, 10 ss.)». H. SCHÜRMANN, *Neutestamentliche Marginalien* (nt. 3), p. 417: «Unser Herrenwort hat in allen vier Fassungen die Form eines «Gesetzeswortes», das in der Gemeinde verbindliche Ordnung garantieren will. Daß diese Gesetzesform nicht nur verfremdendes Stilelement ist (so daß das Wort wie Mt. 5, 28 im Grunde nur als ethischer Appell gedeutet werden soll), machen die unterschiedlichen kasuistischen Amplifikationen in jeder dieser vier Fassungen sicher, zudem auch die paulinische Kasuistik in 1. Kor. 7, 10 ff. und 7, 12-16». Eodem sensu R. SCHNACKENBURG, *Die Ehe nach der Weisung Jesu und dem Verständnis der Urkirche, Ehe und Ehescheidung*, hrsg. von F. HENRICH/V. EID, München 1972, p. 23.

⁸ IOANNES PAULUS PP.II, *Adhortatio Apostolica Familiaris Consortio*, AAS 74 (1982), n. 13.

Ecclesiam textum S. Matthaei 5, 32 ex sacramentalitate interpretari⁹.

3. *Concilium Vaticanum Secundum*

Nihil dubii est, quin Concilium Vaticanum II notionem magis perspicuam de indole foederis nuptialis proposuerit. Semper autem memoria tenendum est Concilium Vaticanum sermonem pastorem adhibere ad efferendos valores existenciales matrimonii.

Si verbis magis cum canonistis congruentibus utamur, duplicem sensum vocabuli foedus distinguamus oportet¹⁰.

Patres loquuntur de foedere ad matrimonium «in fieri» describendum. Hoc enim ipsi textus claris verbis demonstrant¹¹. Quo fit, ut commentatores inter se

⁹ K. REINHARDT, *Sakramentalität und Unauflöslichkeit der Ehe in dogmatischer Sicht*, K. REINHARDT/H. JEDIN, *Ehe-Sakrament in der Kirche des Herrn*, Berlin 1971, p. 49: «Mit Recht hat darum die Kirche Mt. 5,32 nicht in Analogie zu anderen Geboten der Bergpredigt, sondern aus der Sakramentalität der Ehe heraus interpretiert».

¹⁰ Optime de hoc scribit O. ROBLEDA, *Il presupposto della indissolubilità del matrimonio*, AA.VV., *Amore e stabilità*, P.U.G., Romae 1976, p. 91.

¹¹ Conc. Oec. Vat. II, Const. past. *Gaudium et Spes*, n. 48: «Intima communitas vitae et amoris coniugal... foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur. Ita actu humano, quo coniuges sese mutuo tradunt et accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur». De elementis, quae habent momentum iuridicum, vide Sig. Ap., Ex decisione diei 5-12-1972: de doctrina const. «Gaudium et spes» ac de impotentia morali, *Periodica* 62 (1973) 575-580; U. NAVARRETE, *Consensus matrimoniale e amore coniugale con particolare riferimento alla Cost. «Gaudium et spes»*, *Annali di dottrina e giurisprudenza canonica*, vol. I., Romae 1971, pp. 203-214.

convenient significationem vocis *foedus* eandem esse ac significationem vocis *contractus*¹².

Dicendo de foedere amoris Patres vocem *foedus* sumunt ut sensu proprio factum. Amor enim, sive qua actus sive qua habitus, est factum incapax producendi effectus iuridicos¹³.

Ex textibus ergo Concilii Vaticani II nihil novi in re iuridica erui potest. Novi valores personales in matrimonio detecti facile componi possunt cum praecedentibus, quin eos evertant¹⁴.

IV. SIGNIFICATIO VOCIS «INDISSOLUBITAS»

Magni semper interest habere rectam notionem indissolubilitatis. Circa hanc rem ultimis temporibus multa scripta edita sunt. Saepe proponitur nova significatio. Ut eam recte aestimare possimus, insistimus in describendo notionem et traditam et novam.

¹² Nobis placet, quod dicit J. WEBER, «Erfüllungsunvermögen» in der Rechtsprechung der Sacra Romana Rota, Regensburg 1983, p. 23: «Wesentliche Elemente des hier gegebenen Begriffs «Ehe-Bund», wie Verbindlichkeit, gegenseitiges Geben und Annehmen aufgrund eines freien Willensaktes, geordnetes, festes Verhältnis zweier Partner (mit Rechten und Pflichten), sind rechtlicher Natur».

¹³ Inter alia merita U. NAVARRETE hoc adnumerandum est quod in scriptis et in scholis clare exposuit, quonam munere amor coniugalibus fungatur in matrimonio. Quod sciamus nemo in hoc campo adeo adlaboravit ac U. NAVARRETE.

¹⁴ Consentimus cum M. KAISER, die Grundlagen der Eheschließung im Wandel der Zeiten, Braucht Liebe (noch) die Ehe?, hrsg. von W. BEINERT, Regensburg 1988, p. 56: «Wenn das Konzil die Ehe mit Bedacht nicht mehr als Vertrag, sondern als Bund bezeichnet, dann kommt darin zum Ausdruck, daß die Ehe nicht nur und nicht einmal in erster Linie eine rechtliche Wirklichkeit ist, sondern auch und vor allem eine personale und religiöse Wirklichkeit».

1. *Impossibilitas violandi legem*

Doctrina et Magisterium confirmant indissolubilitatem significare, quod consensu personali coniugum vinculum instauratur. Hoc post factum matrimonium non amplius indiget vi consensus actualis, ut perseveret. Ad matrimonium sustentandum sufficit consensus semel praestitus et in omne tempus iuridice efficax. Qui consensus dicitur irrevocabilis, quo verbo expresse effertur vinculum non ex arbitrio coniugum pendere. Hi psychologice et forte consulto consensum puncto temporis indivisibili emissum revocare valent, iuridice tamen vinculati manent. Positiva revocatio nullum effectum iuridicum gignit, ideoque est invalida.

Rebus sic stantibus, postulatur consensus contractualis seu pacticius, ut habeatur indissolubilitas. Haec praesuppositio est omnino necessaria. Attamen, non ex eo, quod consensus est pactum, matrimonium est indissolubile. Sed verum est, matrimonium indissolubile tantummodo pacto creari posse. Indissolubilitas nempe duo praesupponit: factum ut causa et vinculum ut effectus. Quae ambo solummodo dantur, si consensus initialis seu pacticius est. Quo quidem posito, distinctionem facere possumus inter consensum actualem, qui est factum, et vinculum ex consensu ortum. Indissolubilitas significat impossibilitatem rescindendi effectum consensu pacticio productum, quamvis consensus ut merum factum, etsi pactum, revocetur. Aliis verbis: Ratio indissolubilitatis stat in impossibilitate violandi legem matrimonium indissolubile statuentem. Quae lex nonnisi lex irritans esse potest. Talis enim lex nullam patitur violationem.

2. *Obligatio non solvendi matrimonium*

Sunt, qui vehementer pugnent contra doctrinam, quae tenet indissolubilitatem consistere in vinculo independenter a voluntate coniugum subsistente. Uti aiunt, talis modus res considerandi sapit iuridismum, qui matrimonium ut quiddam onticum intellegit¹⁵. Matrimonium equidem est realitas inter duas personas, quae, abstractione facta ab relationibus inter coniuges intercedentibus, non recte intellexeretur.

Auctores afferunt novam visionem indissolubilitatis. Dicunt eam esse donum Dei coniugibus imperitum. Qui coniuges, gratia Dei adiuvante, adlaborare debent, ut matrimonium pedetemptim fiat, quod ab initio est: indissolubile. Uti donum Dei indissolubilitas primo momento initi matrimonii adest. Uti obligatio, vita sponsorum durante, semper adimplenda est, ita ut realitas interpersonalis continuo crescat per cotidianam fidelitatem ergo donum a Deo receptum¹⁶.

Ex dictis patet indissolubilitatem duplicem faciem prae se ferre, positivam et negativam. Altera postulat, ut matrimonium semper realizetur usque ad plenitudinem indissolubilitatis, altera exigit, ne matrimonium divortio dissolvatur. In hac obligatione non dissolvendi relationem matrimonialem invenitur ratio ultima indissolubilis coniugii.

Auctores opinantur vim moralem magis congruam esse matrimonio, quod est intima communitas

¹⁵ F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 221 ss. sententiam denotat «schosiste, légaliste, ponctualiste, fixiste».

¹⁶ F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 235.

vitae et amoris coniugalis inter virum et mulierem. Immo, propugnatores huius opinionis proferunt eos, qui matrimonium tamquam contractum intellegunt, potius contra indissolubilitatem laborare. Si enim indissolubilitas iure nititur, est res iuridica. Uti talis dissolubilis est, quia adest potestas iuridica solvendi. Si indissolubilitas, contra, obligatione morali fundatur, matrimonium absolute indissolubile est. Ordo nempe moralis absolute urget et ab omnibus in agendo observandus est. Quapropter solummodo ordo moralis absolutam indissolubilitatem constituit.

V. PRAESUPPOSITA INDICATA

Non est hic locus neque opportunitas coniugii indissolubilitatem demonstrare. Hoc necessarium non est, quia auctores, quibuscum dialogum instituimus, indissolubilitatem admittunt, etsi uti praeceptum morale.

Hic quaestio tractanda est de praesuppositis. Eorum in scriptis duo proferuntur: consensus dynamicus et communitas vitae.

1. *Consensus dynamicus*

In tota traditione consensus matrimonialis intellegitur tamquam consensus initialis, qui vinculum producit, quod permanet independenter a subsequente voluntate contrahentium.

Nostris diebus, non pauci auctores opinantur consensum matrimonialem non esse staticum, sed dynamicum. Primo momento initi matrimonii creat relationem, quae in sua vita a voluntate coniugum originem repetit. Pro coniugibus obligatio adest conti-

nenter consensum producendi, ut integratio vitae et amoris semper crescens constituatur¹⁷.

Est, qui rationes pro tali structura consensus matrimonialis praebeat.

Primum argumentum sumit ex sic dicta lege gradualitatis, de qua Summus Pontifex Ioannes Paulus II loquitur¹⁸.

Lectis verbis Summi Pontificis, nobis persuasum est ex verbis allatis argumentum pro consensus continuitate trahi non posse. Papa sermonem non facit de matrimonio constituendo, sed de matrimonio constituto, ubi lex gradualitatis viget¹⁹. Quis dubitare potest, quin post matrimonium contractum coniuges intra moralem suam vitam destinentur, ut efficiant vitae consortium, in quo matrimonium «in facto esse» consistat? Hic profectus gradualis datur, minime autem in constitutione matrimonii.

Ex lege gradualitatis probatio pro consensu dinamico hauriri nequit, quia verbum *gradualis* non idem significat ac verbum *continuus* vel *dynamicus*.

Alterum argumentum depromit ex eo, quod homo hic in terra actum liberum nonnisi per continuam renovationem realizare potest²⁰.

¹⁷ J. BERNHARD, Le nouveau droit matrimonial, *Concilium* 205 (1986) 74. «L'engagement matrimonial (consensus) est de plus en plus perçu comme un acte en devenir (et non plus comme un simple fait ponctuel). Le consentement de départ est le début d'une relation interpersonnelle appelée à s'approfondir au jour le jour. La consistance de la relation ne dépend pas seulement de la relation de départ, mais aussi des nombreuses relations susceptibles de se réaliser au cours du vécu matrimonial».

¹⁸ F.X. DURRWELL, Indissoluble et destructible mariage (nt. 4), p. 223.

¹⁹ IOANNES PAULUS PP. II (nt. 8), n. 34.

²⁰ F.X. DURRWELL, Indissoluble et destructible mariage (nt. 4), p. 235: «La communauté conjugale... est une réalité humaine.

Proh dolor, auctor notionem libertatis humanae non explanat.

Concordamus cum nostro auctore in eo, quod coniuges in decisione crescere et maturescere debeant. Hoc officium pertinet ad campum, ubi vires morales actuantur.

Ad consensum liberum eliciendum postulatur, ut coniuges a cuiusvis coercitione immunes uno actu historico seipsos modo absoluto et definitivo ligare possint. Ad hunc actum decursu vitae permanenter se referre debent, si continuationem vitae servare velint²¹. Hoc ex officio non sequitur, ut coniuges consensum liberum omni momento emittant. Satis est, ut obligationes ex consensu ortas in curriculo vitae historicae adimpleant.

Quocirca ex notione libertatis nihil consequitur pro consensu indesinenter renovando²².

créée dans un libre consentement mutuel et ne peut durer que *par le renouvellement permanent de ce libre engagement*. Car, sur terre, l'homme n'est capable d'un acte de liberté qu'en le renouvelant *sans cesse*. Et postea p. 241: «Elle est inscrite comme une exigence dans la nature même de la communauté conjugale, qui est une communauté librement assumée et qu'il faut assumer *sans cesse à nouveau*».

²¹ K. Demmer, *Decisio irrevocabilis? Animadversiones ad problema decisionis vitae*, *Periodica*, 63 (1974) 231 ss.

²² Haec theoria de consensu dinamico similis est interpretationi, quam Romanistae, nisi paucos excipias, inde a C. MANENTI, 1888, de consensu apud Romanos dant. De hac interpretatione scripsimus: *Der Ehekonsens im Römischen Recht*, Romae 1977; *De structura consensus matrimonialis apud Romanos*, *Periodica* 71 (1980) 461-479; *Accezione dell'omnis vita nella definizione di MODESTINO in rapporto alla durata*, AA.VV., *La definizione essenziale giuridica del matrimonio*, Romae 1980, pp. 77-87. Multi nobiscum sentiunt interpretationem C. MANENTI non esse firmam. Plene concordamus cum verbis U. NAVARRETE, *Matrimonio cristiano e sacramento*, AA.VV., *Amore e stabilità* (nt. 10),

Quidquid sit de consensu dinamico deque eius fundamento, pro certo habemus eum indissolubilitatem salvare non posse. Ratio in aperto est. Si matrimonium consensu dinamico creatur, tunc disparabitur, consensu cessante vel retractato. Nihil remanet, cui indissolubilitas attribuitur.

2. *Communitas vitae*

Sunt, qui dicant indissolubilitatem niti communitate vitae. Haec communitas, ut aiunt, per se foedus indissolubile exigit. Hac de causa indissolubilitas non est exterior impositio, sed interior necessitas ipsius communitatis vitae et amoris coniugalis²³. Communitas vitae natura sua indissolubilis est. Hoc de omni dicendum est matrimonio, sive sacramentali sive non sacramentali, sive consummato sive non consummato. Indissolubilitas enim, sic legitur, non est qualitas actus iuridici, sed qualitas communitatis vitae²⁴.

p. 60: «Questa concezione del consenso matrimoniale è totalmente estranea a tutta la tradizione canonistica e teologica sulla natura e causalità del consenso matrimoniale». Qui familiaris est cum scriptis U. NAVARRETE, scit eum pluries interpretationem C. MANENTI solidis argumentis aggressum esse.

²³ Inter alios F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 234: «En vertu des lois de la création, le mariage établit entre un homme et une femme une intime communauté de vie. Celle-ci, *par sa nature même*, est destinée à durer toujours. L'indissolubilité n'est pas un lien surajouté à la communauté conjugale, *elle lui est inhérente*. Ibid.: «La communauté conjugale, qui *de par sa nature* est destinée à durer toujours...» Etiam p. 241: «Elle est inscrite comme une exigence *dans la nature même* de la communauté conjugale...».

²⁴ M. KAISER, *Geschieden und wieder verheiratet, Beurteilung der Ehen von Geschiedenen, die wieder heiraten*, Regensburg 1983, p. 51 opinatur: «Sofern also die Ehe eine personale

Re ita concepta, est, qui enfatice dicat: *Communitas vitae natura sua vult, potest, debet semper perdurare*²⁵.

Analysi subiciamus tres quaestiones.

Prima quaestio: *Vultne communitas vitae natura sua semper perdurare?*

Communitas vitae efficitur relationibus personarum, quibus coniuges mutuo se tradunt et accipiunt. Quae relationes crescere, maturescere, sed etiam evanescere possunt. Subsunt enim potestati coniugum. Accidere potest, ut in relatione matrimoniali permanere velint. Quid fit, si nolint in vita servare societatem? Possuntne destruere, quod fecerint? Si perduratio relationis pendet a voluntate coniugum, nemo impedire potest, quominus deleant, quod creaverint.

*Proinde gratis affirmatur communitatem vitae velle semper perdurare*²⁶.

Lebenseinheit ist, in die sich die Partner zwar selber hineingegeben haben, zu der sie aber letztlich von Gott miteinander verbunden wurden, *ist die Unauflöslichkeit nicht eine Rechtsqualität eines Rechtsverhältnisses, sondern eine Lebensqualität einer Lebenseinheit*». Sunt, qui opinioni auctoris adhaereant. Ita J. ENICLMAYR, *Wiederverheiratet nach Scheidung*, Wien-Freiburg-Basel 1986, p. 115. Qui recensionem paraverunt, non contradicunt: H. HEINEMANN, *Archiv für katholisches Kirchenrecht* 153 (1984) 113-123; K. LÜDICKE, *Theologische Revue* 81 (1985) 327-330; P. GRADAUER, *Theol. prakt. Quartalschrift* 133 (1985) 367.

²⁵ F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 234: «Le lien indissoluble est celui d'une intimité communautaire de vie, établie entre un homme et une femme et qui, par sa nature même, veut et peut et doit durer toujours».

²⁶ M. KAISER, *Geschieden und wieder verheiratet* (nt. 24), p. 57: «Was Gott tut, ist unwiderruflich und gilt ein für allemal. Aber das personale Einverständnis eines oder beider Partner kann zurückgenommen werden».

Secunda quaestio: Potestne communitas vitae natura sua semper perdurare?

Auctores, qui magna voce proferunt, communitatem vitae semper existere posse, concedunt, quod, certis in condicionibus, perduratio unionis impossibilis evadat, etsi coniuges continuationem volunt²⁷.

In scriptis sermo fit de destructione communitatis vitae, immo de «morte» matrimonii²⁸.

Hoc in loco exsurgit quaestio perdifficilis, quomodo talis mors explicari possit.

Uti vidimus, crisis contra notionem indissolubilitatis traditam oritur ex eo, quod relatio matrimonialis qua relatio personalis independenter a personis existere non possit. Ex his, qui talem opinionem defendunt, quaerimus, quomodo fiat, ut realitas matrimonialis qua res personalis totaliter destruat.

Nonne habetur haec consequentia?

Matrimonium, si qua communitas vitae independenter a relationibus personalibus vivere non potest, «mori» non potest, si relationes inter personas cessant. Relationibus interpersonalibus extinctis, non habetur amplius matrimonium, ut asseritur, quia id non est quoddam subiectum in se subsistens. Si hoc verum est, matrimonium deleri nequit. Qui aliter

²⁷ F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 236; M. KAISER, *Geschieden und wieder verheiratet* (nt. 24), p. 55.

²⁸ Inter auctores sunt V. STEININGER, *Auflösbarkeit unauflöslicher Ehen*, Graz 1968, pp. 87-100; P. HUIZING, *Unauflöslichkeit der Ehe in der Kirchenordnung*, *Concilium* 4 (1968) 582-587; idem, *Für eine kirchliche Eheordnung. Ein Alternativentwurf*, Düsseldorf 1975, p. 61; B. HÄRING, *Lösungen im Gewissensbereich für unlösbare Ehefälle, Verheiratet und doch nicht verheiratet*, hrsg. von H. HEIMERL, Wien-Basel 1970, p. 143; J. ENICHLMAYR, *Wiederverheiratet* (nt. 24), p. 116.

sentit, relationem inter coniuges a coniunctione sua cum personis devellit, ideoque eam ad modum instituti considerat²⁹.

Sub sententia auctorum, nostro saltem iudicio, latet aliqua contradictio.

Tertia quaestio: Debetne communitas vitae natura sua semper perdurare?

Consensu personali coniuges communitatem vitae instaurant. Etsi hic gressus est actus iuridicus, tamen ius non sufficit, ut coniuges fines institutionales attingant. Accedere debet moralis, ut pulchritudinem et magnitudinem ad amorem detegant et in usum vitae traducant. Moralis facit, ut matrimonium in facto ad integram effectiorem concilii divini perveniat. Moralitas prohibet, ne divortium perferant, qui foedere vincti sunt.

Quam ob rem laudamus eos, qui primatum bonorum moralium in aedificatione communionis vitae efferunt.

Revera, coniugum vocatio simul et praeceptum est magnanimiter voluntati Domini obsequi: «Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet».

Convenimus cum auctoribus, qui in lumine ponunt indissolubilitatem esse donum Dei, quod homines obligat³⁰.

²⁹ Iure merito quaerit W. Breuning, Unauflöslichkeit der Ehe und Geschiedenenpastoral, G. KOCH/W. BREUNING, Die Ehe des Christen (nt. 6), p. 124: «Argumentiert man hier nicht merkwürdigerweise von einer ähnlichen Basis her, wie sie der angeblich engen kirchlichen Auffassung oft zum Vorwurf gemacht wird: von der Ehe als Institution, ohne den personalen Bezug zum bestimmten Partner an erster Stelle zu sehen?».

³⁰ F.X. DURRWELL, Indissoluble et destructible mariage (nt. 4), p. 235: «L'indissolubilité est un don et un devoir, une donnée déjà existante et un projet à construire».

Donum Dei consistit in hoc, quod Deus in coniugibus et per coniuges operatur determinando et permutando conjugalem amorem, ita ut fiat imago et signum foederis, quod Deum eiusque populum coniungit. Christus in sacrificio suiipsius donum amoris revelat, hominibus defert et amorem conjugalem inter baptizatos in sponsalem amorem assumit, quo diligit Ecclesiam. Spiritus Sanctus coniugibus cor novum donat, ut aperti sint ad sese amandos usque ad mortem.

Ex dictis patet leges Dei, Unius et Trini, numquam coniugibus ab externo imponi. Correspondent intimae naturae hominum ipsamque ab interno liberam reddunt³¹. Quae cum ita sint, sermo de «extrinsecismo» fieri nequit³².

Verumtamen obliviscendum haud est, hisce praesertim temporibus, non paucos coniuges munus servandi fidelitatem respuere et deridere. Putant se ius habere recurrendi ad magistratum civile, ut divortium obtineant, si vita infelix evadit. In aperto est eos donum Dei non recipere et obligationem permanendi in relatione matrimoniali non adimplere, quamvis recipere et adimplere deberent.

Rumpiturne vinculum matrimoniale?

Sunt, qui responsionem affirmativam dent³³. Quae responsio mirationem movet.

Indissolubile foedus uti donum Dei non liberae dispositionis coniugum est. Donum Dei obligat, etsi

³¹ G. KOCH, *Die Ehe des Christen* (nt. 6), p. 69.

³² H. DE LUBAC, *Entretien autour de Vatican II*, Paris 1985, p. 28.

³³ Sic F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 236.

libera voluntas humana donationem recuset³⁴. Qua de causa difficile est intellectu donum Dei non receptum et ad actuationem non deductum desinere esse³⁵.

Est, qui hanc difficultatem videat. Putat enim ob fidelitatem Dei communitatem vitae non posse totaliter destrui, sed semper remanere germen matrimonii³⁶.

Quomodo hoc intellegendum est?

Si matrimonium, prout auctor scribit, in communitate vitae consistit, perdurat, quamdiu perdurat communitas vitae. Qua cessante, matrimonium finitum est, neque est fictio iuris, quae existentiam matrimonii sustentare vult. Solummodo si matrimo-

³⁴ G. SÖHNGEN, Gesetz und Evangelium. Ihre analoge Einheit theologisch-philosophisch-staatsbürgerlich, Freiburg-München 1957, p. 99: «Die Gabe ist nicht ohne Gebot; sie ist doch um des Gebots willen da, enthält sie doch das Gebot, enthält es eingegeben mit der Freude und Kraft zum Gebote in unseren Herzen. Und das Gebot ist nicht ohne Gabe; kommt doch das Gebot nun auf mich zu und in mich hinein als Gabe, so daß ich das Gebot zu erfüllen vermag aus der Gabe, aus dem Geist, der in unsere Herzen gegeben ist».

³⁵ F.X. DURRWELL, Indissoluble et destructible mariage (nt. 4), p. 236: «D'ailleurs, au moment où le mariage — indissoluble — à-réaliser est devenu impossible, le déjà-là (la donnée fondamentale) se trouve déjà perdu. Car le déjà-là et le projet sont inséparables».

³⁶ M. KAISER, Geschieden und wieder verheiratet (nt. 24), p. 58: «Da aber das Element der göttlichen Ehestiftung in keinem Fall zurückgenommen wird, wird durch den Widerruf des personalen Einverständnisses eines oder beider Gatten die von Gott gewirkte Bindung der Gatten aneinander nicht aufgehoben. Daher bleibt der *Lebenskeim* der Ehe erhalten, so daß eine Wiederbelebung der personalen Lebenseinheit allein durch die Gatten möglich bleibt, in dem sie sich erneut zu der gegenseitigen Selbstübereignung bekennen, ohne daß es dazu einer erneuten Eheschließung bedarf».

nium in vinculo consistit, sermo de germine matrimonii fieri potest.

Conabimur res amplius exponere.

Si matrimonium formaliter in communitate vitae consistit, tum is, qui communitatem vitae non efficit, non contrahit matrimonium, et qui post matrimonium contractum communitatem vitae non continenter producit, desinit esse in matrimonio. Communitate prorsus deleta, nihil remanet inter eos, qui coniuges fuerunt.

Ut germen matrimonii supersit, requiritur aliquid matrimonio subiaccens, quod impedire possit, ne omnia dispareant. Hoc non potest esse nisi vinculum quoad communitatem vitae ex pacto ortum.

Ambae opiniones non componuntur, sed inter se pugnant. Nam aut matrimonium consistit in communitate vitae, tunc est factum, aut matrimonium consistit in vinculo, tunc est res iuridica. Factum autem existit aut non existit ideoque nec indissolubile nec dissolubile est. Qui matrimonium ut factum concipit, id indissolubile praedicare nequit.

Fortasse, loquendo de germine matrimonii, auctor noster indissolubilitatem salvare vult. Sane dolendum est eum de matrimonio scribere ac si esset merum factum. Re quidem vera, ipse intellegit matrimonium consistere in vinculo iuridico³⁷.

³⁷ M. KAISER defendit notionem traditam de vinculo sicut in dialogo, Herder Korrespondenz 40 (1986), p. 23. Qua de causa F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 234, nota 79, crisim movet: «Il pense cependant que le lien existe toujours, puisque Dieu a uni entre eux les époux. Cette réflexion est typique d'une pensée juridique, selon laquelle le lien n'est pas une réalité humaine, personnelle, mais une entité existant en elle-même. En somme, le mariage ne serait pas essentiellement une communauté humaine».

Alia quaestio respicit reconciliationem. Sunt, qui hanc postulent. Etsi cum his convenimus, tamen semper restat difficultas explicationis. Si exigitur, ut, destructa communitate vitae, pars innocens pro viribus virtutem veniae colat et superiorem vitam resumat, quin consensum renovet, aperte conceditur obligationem inter coniuges adhuc vigere. Quae obligatio nequit esse nisi effectus consensus contractualis, quocum indissolubilitas coniecti potest.

Nemo est, qui non videat talem considerationem esse extra hypothesim, quae indissolubilitatem tamquam qualitatem communitati vitae insitam concipit³⁸.

Si tenetur matrimonium in communitate vitae consistere, reconciliatio exigi non potest. Exstincto matrimonio, reconciliatio postularet, ut persona cum persona olim nupta contraheret. Quae obligatio non datur, cum nemo obligetur, ut cum certa persona matrimonium ineat. Talis autem obligatio intellegibilis est, quando vinculum inter coniuges pergit. Tunc pars digressa obligatur, ut communitatem vitae instauret et officia matrimonialia adimpleat.

Redeamus ad nostram quaestionem: Debetne communitas vitae natura sua semper perdurare?

Ex supra dictis quandam conclusionem generalem trahere liceat: Si non clare definitur, quid sit natura matrimonii, nihil iuvat dicere communitatem vitae natura sua debere semper perdurare. Quando enim matrimonium dicitur factum, obligatio factum

³⁸ F.X. DURRWELL, *Indissoluble et destructible mariage* (nt. 4), p. 236, nota 84, res profunde perspicit quaerens: «Or, si la communauté conjugale peut être "irréremédiablement détruite", peut-on dire que son indissolubilité, qui en est une qualité inhérente, subsiste encore?».

ponendi statui potest. Si autem non ponitur, matrimonium non oritur ideoque perdurare nequit, etsi deberet.

VI. NON SUFFICIT PRAECEPTUM MORALE

Uti vidimus, certi auctores affirmant ad indissolubilitatem matrimonii sustentandam sufficere praeceptum morale. Fortior vi iuridica, ita aiunt, est vis moralis, cum obligatio moralis pro semper vigeat.

Sentimus fautores talis opinionis rem profunde non perspicere.

Libenter concedimus obligationem moralem semper in vigore manere. De hoc non est disputandum, quia nemo adversus est.

Non autem agitur de permanentia normae moralis, sed de permanentia matrimonii. Quaestio ponitur, num norma moralis effective violari seu non adimpleri possit. Responsio difficilis non est. Nam omnis norma moralis violari potest. Moralis cognoscit liceitatem actus vel illicitatem actus. Moralis autem non admittit invaliditatem.

Quae cum ita sint, nihil iuvat dicere in casu transgressionis praecepti nihilominus praeceptum in vigore manere. Si enim indissolubilitas matrimonii consistit in obligatione permanendi in matrimonio, is, qui non permanet, non est in matrimonio. Etsi obligatio pergit, tamen matrimonium est solutum.

Praeceptum morale non sufficit, quia effective violari potest. Indissolubilitas autem requirit normam, quae violari nequit, ita ut violatio normae tantum attentetur, minime efficiatur³⁹.

³⁹ De hoc puncto, vide O. ROBLEDA, De iure matrimoniali responsiones, *Periodica* 61 (1972), p. 465; Vinculum matrimonial-

VI. REQUIRITUR IUS

Ex praecedentibus considerationibus clare apparet quaestioni circa indissolubilitatem matrimonii in ambitu moralitatis responderi nequire. Moralitas enim violationem legis indissolubilitatis efficaciter impedire non potest. Tantummodo ius capax est ruptionem vinculi matrimonialis impossibilem reddere, Quapropter ad moralem accedere debet ius ducens obligationem moralem non solvendi matrimonium ad plenitudinem, scilicet ad irrevocabilitatem et indissolubilitatem iustitiae⁴⁰.

1. *Non humanum*

Matrimonii sacramentum non tantum bono fidelis privati, sed etiam aedificationi communitatis ecclesialis inservit. Qua de causa totius communitatis interest matrimonia stabilia fieri⁴¹. Exinde sunt, qui putent legem indissolubilitatis esse legem mere ecclesiasticam.

Quid sentiendum?

Statim dicimus argumentationem gravem difficultatem praebere. Quaestio enim ponitur sat actualis, quamnam utilitatem communitas ecclesialis habere possit ex matrimoniis, quae mutuis contentionibus ad disruptionem insanabilem adductae sunt. Nonne,

le in iure romano, AA.VV., Vinculum matrimoniale (nt. 7), p. 38; Il presupposto della indissolubilità (nt. 10), p. 97; Amore coniugale e atto giuridico, Annali di dottrina e giurisprudenza canonica, vol. I, Romae 1971, pp. 215-221.

⁴⁰ P. HUIZING, Iustitia et Caritas, ius et salus animarum, hrsg. von U. MOSIEK/H. ZAPP, Freiburg, 1972, p. 28.

⁴¹ Cicero, de re publica 6, 2, 2: «Firmiter enim maiores nostri stabilia matrimonia esse voluerunt.

rebus sic stantibus, Ecclesia matrem se exhibeat hominibus misericordem eisque viam aperiat ad novas nuptias? Si indissolubilitas in lege mere ecclesiastica fundaretur, responsio affirmativa postularetur.

Alii ex exigentiis «boni communis» arguunt⁴².

Verum est bonum commune tangere provinciam, ubi leges praeceptivae et violabiles et inviolabiles habentur. Quo fit, ut lex indissolubilitatis in ordine publico fundari possit.

Non desunt tamen difficultates, quae contra talem opinionem moveri possint.

Prima difficultas promanat ex eo, quod ad ordinem socialem evolvendum exiguntur amplae immutationes. Quam ob rem periculum adest, ne indissolubilitas postulationibus variabilibus subiciatur.

Altera difficultas respicit ipsam notionem «boni communis», quo in communitate ecclesiali non tantum relationes interpersonales, sed etiam relationes personales erga Deum eiusque Sanctum Evangelium promoveantur. Si indissolubilitas solummodo ob bonum commune lege positiva cum matrimonio conectitur, difficile explicatur, cur Ecclesiae non liceat legem indissolubilitatis, certis in casibus, mitigare⁴³.

2. *Sed divinum*

Indissolubilitas secum fert impossibilitatem delendi relationem matrimonii. Ex his, quae diximus,

⁴² J.G. GERHARTZ, Unauflöslichkeit der Ehe und kirchliche Ehescheidung in heutiger Problematik (nt. 4), p. 170.

⁴³ Crisim instituit R. HAUSER, Die Unauflöslichkeit der Ehe als pastorale Aufgabe, H. LUBSCYK/G. SCHNEIDER/R. HAUSER, Ehe unauflösbar, Fragen an Bibel und Pastoral, Berlin 1972, p. 92.

satis patet nec voluntatem hominis nec societatem ecclesiasticam habere potestatem absolute impediendi, quominus matrimonium dissolvatur. Solus Deus, qui regit personam et societatem ecclesiasticam creavit institutionem indissolubilem.

Matrimonium est indissolubile, quia ipse Deus est auctor foederis coniugalis, variis bonis ac finibus praediti; quia intima communitas vitae et amoris coniugalis a Creatore condita suisque legibus instructa est; quia foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali, quo coniuges sese mutuo tradunt et accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur⁴⁴.

Concilium Vaticanum II docet intuitu boni, tum coniugum et prolis tum societatis, vinculum matrimoniale ex arbitrio humano non pendere. Inde omne matrimonium indissolubile est, maxime matrimonium inter baptizatos, quod est imago et participatio foederis dilectionis Christi et Ecclesiae.

Locutiones «institutum» et «ex arbitrio humano non pendere» exprimunt matrimonium minime quiddam esse dumtaxat vitale seu existientiale, sed tangere iustitiam uti talem veluti nucleum intimum⁴⁵. Si coniuges mutuo se tradunt et accipiunt, quod unius est, alteri fit. Ex eo venit, ut habeatur perfecta alteritas. Est nempe inter personas sexus diversi et complementarii relatio, in qua persona debetur personae, id est, in qua persona debet seipsam⁴⁶.

⁴⁴ Conc. Oec. Vat. II, Const. past. Gaudium et spes, n. 48.

⁴⁵ De hoc argumento egregie agit U. NAVARRETE, *Structura iuridica matrimonii secundum Concilium Vaticanum II*, Romae 1963.

⁴⁶ De relatione matrimonium inter et ius disserit L. VELA, *Amor et iustitia in matrimonio*, *Periodica* 69 (1980), p. 483.

Dicat quis ius divinum libertatem hominis restringere.

Ius libertatem non coarctat, sed eam defendit ab omni subiectiva et relativa ratione. Immo, ius salvat iustitiam impediens, ne coniugi tollatur, quod suum est.

Forte quaestio ponitur, num Ecclesia legibus suis ius divinum proponere debeat.

Responsio videtur esse affirmativa. Est enim munus Ecclesiae exhibere testimonium de voluntate Dei per Christum definitive revelata. Christus autem dat et vult, ut matrimonium sit signum et locus foederis amoris inter se et Ecclesiam. Idcirco Ecclesia voluntati Christi obtemperat legem indissolubilitatis in ordine visibili iuridice urgens. Attento munere sibi concredito, Ecclesia alia via procedere nequit, quin fidelitatem erga Dominum et Sponsum suum laedat⁴⁷.

VII. CONCLUSIONES

Puncta essentialia recapitulando concludimus:

— Indissolubilitas non est tantum praeceptum morale, sed etiam norma iuridica.

— Exigitur moralis, ut realizetur matrimonium, quod est communitas vitae et amoris coniugaliter inter virum et mulierem. Praeceptum morale postulat, ut coniuges iugiter inter se servant fidelitatem neque attentent divortium.

⁴⁷ J. RATZINGER; *Zur Theologie der Ehe, Theologie der Ehe*, hrsg. von G. KREMS und R. MUMM, Regensburg, 1969, p. 106; K. REINHARDT, *Sakramentalität und Unauflöslichkeit der Ehe* (nt. 9), p. 55; R. HAUSER; *Die Unauflöslichkeit der Ehe* (nt. 43), p. 91.

— Error eorum, qui crīsim instituunt contra notionem indissolubilitatis traditam stat in hoc, quod ius a morali separent. Ius et moralis contraponi non possunt. Ius moralem defendit et praeceptum morale plene fructiferum reddit, cum efficacitatem impediat, ubi alteri tolli non debeat, quod suum est. Quapropter communitas vitae et amoris coniugalīs tunc tantum vere personalis est, si vis moralis non solvendi relationem maritalem induit formam iustitiae irrevocabilis. Sic unio personarum habetur praefiguratio status finalis, de quo pulcherrime dicitur: Iustitia non erit nisi aspectus irrevocabilitatis et indissolubilitatis ipsius Caritatis⁴⁸.

— Solummodo ius potest salvare genuinam notionem indissolubilitatis, et quidem non ius humanum, sed divinum.

Quod multis paginis scripsimus, U. NAVARRETE breviter verbis comprehendit: «Talis relatio non est mere ordinis moralis, sed est etiam ordinis iuridici, ideoque pergit exsistere independenter a mutationibus subiectivis contrahentium. Quatenus est relatio iuridica non potest esse effectus amoris, formaliter talis, nec destrui potest mera cessatione amoris»⁴⁹.

VIII. QUAESTIONES PROFUNDIUS INVESTIGANDAE

Finem articuli facientes aliquas propositiones profundius investigandas praebeamus:

— Requiritur radicalis renovatio spiritualitatis baptismalis, ut clarius appareat matrimonium inter

⁴⁸ P. HUIZING, Iustitia et Caritas (nt. 40), p. 28.

⁴⁹ U. NAVARRETE, Amor coniugalīs et consensus matrimonialis, *Periodica* 65 (1976) 628.

baptizatos indole sua interna verum sacramentum esse, excluso omni «automatismo»⁵⁰.

— In luce ponatur arctus nexus inter matrimonium et sacrificium suiipsius, quod Christus in Cruce pro Sponsa sua Ecclesia offert et quo repraesentatur et efficitur foedus coniugale. Necesse est, ut Christianus etiam in rebus adversis, ad quas adnumerandum est matrimonium infelix, maxime divortio dissolutum, testimonium de mysterio paschali passionis, mortis et resurrectionis Christi exhibeat⁵¹.

— Pressius describatur intima conexio inter matrimonium et S. Eucharistiam, ut pateat, cur matrimonium inter catholicos ex more intra Missam celebretur et cur divortiiati denuo «nupti» impediuntur, quominus Eucharisticam communionem recipiant. Eorum nempe status laedit illam coniunctionem inter Christum et Ecclesiam, quae Eucharistia significatur et peragitur⁵².

— Accuratius determinantur actio Dei et actio hominis in constituendo matrimonio, ita ut omnis «deismus» evitetur. Deismum sapit, si dicitur Deum institutum creare, quod homines, cum liberum consensum emittunt, ingrediuntur⁵³.

— Realitas vinculi matrimonialis ita exprimatur, ut attentior animus habeatur ad hoc, quod agitur de vinculo personarum non de vinculo rerum⁵⁴.

⁵⁰ IOANNES PAULUS PP. II, Adhortatio Apostolica Familiaris Consortio (nt. 8), n. 13.

⁵¹ L. SCHEFFCZYK, Zur Theologie der Ehe, Respondeo, n. 6, Abensberg, p. 46.

⁵² G. KOCH, Die Ehe des Christen (nt. 6), p. 83.

⁵³ K. REINHARDT, Sakramentalität und Unauflöslichkeit der Ehe (nt. 9), p. 47.

⁵⁴ K. LEHMANN, Zur Sakramentalität der Ehe, Ehe und Ehescheidung (nt. 7), p. 62, intuitu iuris matrimonialis dicit: «Es

— Indissolubilitas intellegatur donum Christi, ex quo coniuges usque ad mortem vivant. Haec fidelitatis obligatio, quam sacramentalem dicimus, iure Ecclesiae custoditur et promovetur, immo urgetur, ita ut amoris donum ad ultimam suam adducatur plenitudinem, id est ad significandum et repraesentandum mysterium amoris Christi cum Ecclesia.

U. NAVARRETE in scholis et in scriptis problemata de matrimonio semper sub respectu christologico-ecclesiali tractavit sibi conscius ordinem salutis intimis postulationibus et expectationibus hominum numquam contradicere⁵⁵.

Discipuli fore sperant, ut ipse magister eos per multos annos ad uberiores cognitionem consilii Dei pristini de matrimonio perducatur.

JOSEF HUBER

ist ein Recht, das zuerst nicht auf possessorische Akte und auf Einklagen gewisser Kompetenzen konzentriert ist, das vielmehr sein eigenes Ja in jener Unbedingtheit schützen möchte, die eine Vorgabe in die unbekannte Zukunft hinein ausspricht mit dem größten Ernst und der äußersten Entschiedenheit, welche zugleich untrennbar davon ständige Indienstnahme und Verpflichtung bedeutet».

⁵⁵ U. NAVARRETE, *Indissolubilitas matrimonii* (nt. 1), p. 448: «Ex alia parte, haec absoluta indissolubilitas quae matrimonio rato et consummato iure divino positivo competit, non potest non esse conformis exigentiis et bono naturae humanae, cum ipse sit Deus qui hominem creavit et ad ordinem supernaturalem elevarit. Gratia non destruit, sed perficit naturam».